



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 17. Cleri Gallicani Zelus contra hosce Episcopos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

redactis in Embrodunensi Concilio gesta Sæc. XVIII.  
 confirmarentur, ac insuper speciatim A. C. 1727.  
 Romanæ Curix literas die 17. Dec. 1727.  
 editas denuntiabant, eo quod  
 hæ præcipuas Ecclesiæ & Regni leges,  
 necnon Gallicanæ Ecclesiæ libertates  
 funditus everterent &c.

## §. XVII.

*Cleri Gallicani Zelus contra hosce  
Episcopos.*

Horum Præfulum ausus Franciæ Rex  
 Ecclesiæ ac Regno hand parum  
 perniciosos fore veritus, illorum literas  
 ceu seditiosas palam detestatus est,  
 cunctisque his Episcopis inhibuit, ne  
 suis Diæcesibus excedere præsumerent,  
 Synodi vero Embrodunensis Patres de  
 Regio suo patrocínio adversus omnium  
 insultus certiores reddidit: Præterea  
 illis, qui tum Parisiis agebant, Epi-  
 scopis præcepit, ut deliberatione inter  
 se habita Regi suggererent, quid contra  
 iniquam Advocatorum Consultationem  
 a Regia sua Majestate statuendum cen-  
 serent. Hi ergo re maturius pensata  
 ad Ludovicum XV. Regem literas da-  
 bant, in quibus plurimis argumentis  
 luculenter demonstratum ibant, quo  
 perversa refractoriorum Præfulum prin-  
 cipia tenderent, & quam gravia inde  
 li 3 mala

Sæc. XVIII. mala oritura essent, his autem haud  
 A. C. 1727. opportunius remedium opponi posse  
 autumabant, quam Concilium Natio-  
 nale, vel saltem Concilia Provincialia.

Priusquam vero Rex hisce turbis  
 Regia sua auctoritate finem imponeret,  
 Franciæ Episcopi novo Zelo animati  
 ad veritatis Catholicæ, & Embrodu-  
 nensis Synodi defensionem vires & ca-  
 lamos suos strenue exercebant, eorum-  
 que potissimi decreta hujus Concilii in  
 suis Synodis Provincialibus promul-  
 gaverunt. Eminuit inter eos Archi-  
 episcopus Dux Cameracensis, qui Pa-  
 risiis die vigesima quarta Decembris  
 documentum Pastorale edidit, in quo  
 Advocatorum consultationem egregie  
 confutavit, & inter alia sat præclare  
 dicta etiam hæc notatu dignissima ef-  
 fatus est verba:

„An non Orbi manifestat universo,  
 „se in errore versari, quicumque non  
 „concordat cum hac Ecclesia Romæ  
 „constituta, quæ juxta Bossuetium a  
 „nobis supra laudatum, a Petro ipsius-  
 „que Successoribus edocta hæreses non agno-  
 „scit? Nonne hoc est profiteri se ab Ec-  
 „clesiæ Catholicæ fide descivisse? Si-  
 „quidem eodem docente Antistite Ec-  
 „clesiæ Romana semper est Virgo, & Ec-  
 „clesiæ Romanæ fides semper est fides Ec-  
 „clesiæ.

„Hic

„Hic hæreamus aliquantulum, Sæc. XVIII.  
 „Fratres charissimi, ut vobis ob oculos A. C. 1727.  
 „ponamus ingens discrimen, quod re-  
 „peritur inter agendi rationem Episcopi  
 „Sanitiensis aliorumque appellantium,  
 „& agendi normam illorum antiquita-  
 „tis Episcoporum, qui sanctitate & Do-  
 „ctrina maxime florebant. Priscis ac  
 „faustis illis temporibus, in quibus spi-  
 „ritus Apostolicus potissimum vige-  
 „bat, Episcopi tutius non agnoscebant me-  
 „dium fidei puritatem servandi ac No-  
 „vatores comprimendi, quam ad ipso-  
 „rum Oraculum confugere. Eo ipso  
 „quo suam Doctrinam celebris illius  
 „Ecclesiæ traditioni consentaneam com-  
 „probabant, Hæreticos expugnabant,  
 „nec ullum novitati effugium relin-  
 „quebant. Audiamus unum ex anti-  
 „quioribus Galliæ Episcopis ab ipsis  
 „Apostolorum Discipulis edoctum: *Ma-  
 ximæ & antiquissimæ, inquit S. Irenæus,  
 & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus  
 Apostolis Petro, & Paulo Romæ fun-  
 datæ, & constitutæ Ecclesiæ eam quam  
 habet ab Apostolis traditionem, & annun-  
 tiatam hominibus fidem per successiones Epi-  
 scoporum pervenientem usque ad nos indi-  
 cantes, omnes confundimus Hæreticos. Ad  
 hanc enim Ecclesiam propter potiorem prin-  
 cipalitatem necesse est omnem convenire Ec-  
 clesiam, & quia omnes per orbem univer-*  
 sum

Sæc. XVIII. *sum dispersi fideles in ea Ecclesia traditionem ab Apostolis venientem conservarunt.*  
A. C. 1727.

„Tertulianus adhuc Catholicus non  
 „aliis armis ad impugnandos sui tem-  
 „poris Hæreticos utebatur, quam Ec-  
 „clesiæ Romanæ autoritate; nec ipsis  
 „vel permittebat, ut disputarent, aut  
 „proferrent scripturas, quas habe-  
 „bat ut fundum qui eorum non erat,  
 „ac ut thesaurum, a quo tenebantur ab-  
 „stinere: *haud opus est*, ipsis dicebat,  
*exanimare hæc sacra monumenta, quæ ad*  
*Ecclesiam pertinent & quorum fidelis cus-*  
*tos est Ecclesia. Romanæ habemus Ec-*  
*clesiæ autoritatem, quæ nobis sufficit. Quam*  
*felix ista Ecclesia, cui totam Doctrinam*  
*Apostoli cum sanguine suo profuderunt.*

„Hæc Ecclesiæ Romanæ fidei au-  
 „toritas INDEFECTIBILIS tam firmis  
 „innixa est monumentis, ut novator  
 „ipse, cujus infaustum opus turbarum  
 „omnium est causa, eam inficiari non  
 „valuerit. Ipsum itaque audiamus,  
 „Fratres charissimi; & ex ipsa confes-  
 „sione, quam nobis annuere coguntur  
 „nostri simul & Ecclesiæ hostes, lucrum  
 „aliquod percipiamus; nobis illa con-  
 „fessio suppeditabit, unde Novatores  
 „hujus atque eorum omnium, qui ipsam  
 „defendendum susceperunt, audaciam  
 „retundamus. Episcopi Africani, in-  
 „quit P. Quesnelius, Petri Successori  
 „suas

„suas misere Synodales relationes, ut  
 „ipforum Judicium Apostolicæ Sedis  
 „auctoritate firmatum foret, utque  
 „traditionis Ecclesiæ Africanæ, cum Ec-  
 „clesiæ Rom. traditione comparatione  
 „facta manifestum foret, an rivulus ille  
 „qui in Africa serpebat, ab eodem fonte  
 „manaret unde prodierat tam plenum  
 „& abundans Ecclesiæ Romanæ flu-  
 „men, ut loquitur S. Augustinus &  
 „cum illo quatuor alii Episcopi ad In-  
 „nocentium I. R. Pontificem scribentes  
 „Hinc est, quod sanctus iste Doctor in-  
 „venta Ecclesiæ universalis Doctrina  
 „in Sedis Apostolicæ traditione scribat  
 „causam Pelagianorum per hanc col-  
 „lationem fuisse finitam.,

„Cum hæc P. Quesnelius profite-  
 „batur, Gallorum Antistitum Doctrinæ  
 „obtemperabat. Sic enim loquitur  
 „cætus Anno 1653. in Epistola ad In-  
 „nocentium X. summum Pontificem  
 „missa: *quemadmodum ad Episcoporum  
 „Africæ relationem Innocentius I. Pelagia-  
 „nam hæresim damnavit olim; sic ad Gal-  
 „licorum Episcoporum consultationem hære-  
 „sim ex adverso Pelagianæ oppositam Inno-  
 „centius X. auctoritate sua proscripsit.  
 „Enim vero vetustæ illius ætatis Ecclesia  
 „Catholica sola Cathedræ Petri communione,  
 „& auctoritate sulca, quæ in decretali Epi-  
 „stola Innocentii ad Africanos data elucebat,  
 „quamque dein Zozimi altera ad universos*

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1727.

Sæc. XVIII, orbis Episcopos Epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit: perspectum enim habebat non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta sed etiam ex actis priorum Pontificum & ex anathematismis adversus Apollinarium & Macedonium nondum ab ulla Synodo œcumenica damnatos a Damaso paulo antea jactis, judicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant sive omittant, prout illis collibuerit) divina æque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia ac fide imbuti Romanæ Ecclesiæ præsentem quæ in summo Pontifice Innocentio X. viget auctoritatem, debita observantia colentes, &c.

„En perpetua, quæ a primis sæculis  
 „ad nos usque semper retenta est de  
 „Ecclesiæ Romanæ auctoritate, Ec-  
 „clesiæ universæ sententia; præcla-  
 „rumque testimonium quod huic Ec-  
 „clesiæ Matri tribuebat sanctus Irenæus  
 „teste Bossuetio oraculum est omnium sæ-  
 „culorum veneratione consecratum. . . .  
 „Si vero Constitutio Unigenitus talis  
 „est, qualem illam exhibet Sanitiensis  
 „Episcopus in suo appellationis actu,  
 „si

„si fidem, bonos mores ac Ecclesiæ Sæc. XVIII.  
 „Disciplinam subvertit, si primum Sym- A. C. 1727.  
 „boli articulum destruit, jam non erit  
 „cum Domino Bossuetio dicendum, *Ec-*  
 „clesiam Romanam a S. Petro ipsiusque Suc-  
 „cessoribus edoctam hæreses non agnoscere  
 „ac fidem Romanam semper esse fidem Ec-  
 „clesiæ: Imo cum Hæreticis ex aduerso  
 „affirmandum erit, Ecclesiam Romanam,  
 „quæ tamdiu Virgo manserat intacta,  
 „nunc in errorem pronam ac præcipi-  
 „tem se dedisse, flagitiis se coinqui-  
 „nasse, ac ab illa tamquam a meretrice  
 „infami secedendum esse. Non jam  
 „sas erit prædicare palam cum eodem  
 „Antifite, qui non nisi sexcentorum &  
 „triginta Episcoporum in Concilio Cal-  
 „cedonensi coactorum sententiam, ver-  
 „baque refert, *Petrum in sua Cathedra*  
 „*semper loquuturum esse, ac in suis Succes-*  
 „*soribus semper victurum.* E contra vero  
 „cum nuperis Hæreticis fateri cogemur  
 „hanc Cathedram tam olim Venera-  
 „bilem tantaque in veneratione semper  
 „habitam, jam non esse nisi pestilentiæ  
 „Cathedram; atque Petri Successores  
 „in ea sedentes non nisi mendacia pro-  
 „ferre. Quid plura? Non jam necesse  
 „erit, ut Ecclesiæ privatæ ad Ecclesiam  
 „Romanam confugiant, ut certæ fiant,  
 „Doctrinam quæ in ipsis traditur, esse  
 „Doctrinam Ecclesiæ Romanæ, e con-  
 „tra

„tra

Sæc. XVIII. „tra Romanæ erit Ecclesiæ hanc Do-  
A. C. 1727. „ctrinæ collationem peragere. Opor-  
 „tebit ut ista Ecclesia cæterarum om-  
 „nium mater olim & magistra propa-  
 „lam agnoscens tam plenum ac redun-  
 „dans quod in ipsa volvitur flumen ex  
 „eodem fonte non proficisci ex quo ori-  
 „tur rivulus qui fluit in Sanetio, suos  
 „errores corrigat, abjiciat &c. „

Non minus solide Appellantes con-  
 futabat Cardinalis Bissyus in sua Pa-  
 storali epistola, quam die decima quarta  
 Junii Meldis edidit, & de Romanæ  
 Ecclesiæ auctoritate suam non minus  
 quam totius Ecclesiæ Gallicanæ men-  
 tem his verbis declaravit :

„Antequam de ceteris Ecclesiis ser-  
 „monem instituamus, e re esse judico  
 „hujusce primæ Ecclesiæ, (Romanæ)  
 „auctoritatis pondus nonnullis obser-  
 „vationibus, ac testimoniis in Gallia  
 „minime suspectis vobis ostendere.

„Ecclesia Romæ constituta in er-  
 „rorem nunquam incidit eo etiam tem-  
 „pore, quo unus alterve summus Ec-  
 „clesiæ Pontifex aut vi coæctus, aut  
 „fraude deceptus fidei Doctrinam con-  
 „stanter satis non propugnavit, aut  
 „saris plene non explicavit.

„Qui vero fieret, ut ista Ecclesia a  
 „veritate declinaret, cum a Christo  
 „constituta sit Ecclesiasticæ Commu-  
 „nio-

„nionis centrum, atque caput corporis, Sæc. XVIII.  
 „quod unum semper esse debet, quod A. C. 1727.  
 „que tamen hanc unitatem servare non  
 „potest, nisi cum ea unitum maneat,  
 „cum sensuum conformitate, tum per-  
 „fecta omnium suorum membrorum  
 „subordinatione ?

*Ad hanc Romanam Ecclesiam, inquit sanctus Irenæus, propter potio- rem principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam. Hæc Romana Ecclesia illa est Sacerdotalis unitatis scaturigo, ad quam infidelitas, & perfidia accessum habere non possunt. Patres octavæ Synodi œcumenicæ hoc Sedi Apostolicæ honorificum testimonium rependunt, quod in ea, videlicet, integra inveniatur Christianæ Religionis sodalitas, quodque illibatam Sedes Apostolica fidem semper conservaverit. Hinc est, quod major illorum, tum veteris, tum recentioris ætatis, scriptorum pars, qui Romani Pontificis infallibilitati maxime obstiterunt, particulari tamen Ecclesiæ Romanæ privilegium indeficientis palam adserant. „*

„Petrus Alliacensis Gersonii Magister a facultate Parisiensi ad Clemen- tem VII. summum Pontificem Lega- tione missus in ipso libello, quem con- tra Montessonii errores composuit, „ad primam, inquit, *Apostolicam Sedem perti-*

Sæc. XVIII. *pertinet auctoritate judicialiter definire,*  
 A. C. 1727. *quia fides primæ Sedis nunquam deficit.*

„Quod quidem sacræ Scripturæ aucto-  
 „ritate, atque sancti Cypriani, & sancti  
 „Hieronymi testimoniis confirmat. „

„Illustrissimus Bossuetius Meldensis  
 „dum viveret Episcopus qui, ut no-  
 „runt omnes, promovendo quatuor  
 „Cleri Gallicani Anno 1682. proposi-  
 „tionum negotio plus ceteris allabora-  
 „vit in Sermonem, quem ad eum conven-  
 „tum præloquii ad instar habuit, de-  
 „claravit, *Petrum in sua Cathedra semper*  
*loqui, atque hanc esse Patrum, & Conci-*  
*liorum generalium Doctrinam, declaravit*  
*hanc Petri Cathedram, æternam esse. Ro-*  
*manam Ecclesiam hæresim non agnoscere,*  
*unitatis simul, & veritatis esse Cathedram.*  
 Declaravit, *hanc Romanam Ecclesiam sem-*  
*per esse Virginem, atque illius fidei semper*  
*futuram universalis Ecclesie fidem; in ea*  
*semper credi, quod credendum est.*

„Eandem D. Nicolius propugnat  
 „Doctrinam in ea Symboli interpreta-  
 „tione, quam interrogationibus & re-  
 „sponsis concinnavit, & in qua nil,  
 „nisi quod ad fidem pertinet, vel ad  
 „eam saltem propius accedit, eum  
 „scripsisse judicandum est, & certe  
 „suam hanc Nicolius Doctrinam affir-  
 „mat Doctrinam esse Cardinalis Cu-  
 „sani, Gersonii, atque eorum omnium  
 „quos

„quos Romano Pontifici nimis favere  
 „voluisse, nemo suspicari potest. Et Sæc. XVIII.  
 A. C. 1727.  
 „quidem Launoius dum plurimis Pa-  
 „trum testimoniis, quæ Bellarminus  
 „ad confirmandam Romani Pontificis  
 „infallibilitatem attulerat, respondet,  
 „Bellarminum increpat, quod *summum*  
 „*Pontificem inter & Sedem Apostolicam nul-*  
 „*lam interponat discrimen*; ipse vero Sedi  
 „Apostolicæ referenda esse contendit,  
 „quæcumque Bellarminus loca in gra-  
 „tiam Pontificiæ infallibilitatis adduxe-  
 „rat. Sic non Romano Pontifici, sed  
 „Petri Cathedræ vel Ecclesiæ Romanæ  
 „promissam infallibilitatem esse conten-  
 „dit in illis Christi verbis: *Ego rogavi*  
 „*pro te, Petre &c.* eodemque sensu Pa-  
 „trum textus, qui huc faciunt, inter-  
 „pretatur. Simon Vigorius idem con-  
 „ficit, *non de Pontifice singulariter*, in-  
 „quit, sed de Romana Ecclesia col-  
 „lective, & Synodice sumpta loquun-  
 „tur.,

„Eandem amplectuntur sententiam  
 „Pater Alexander, & Doctor Dupi-  
 „nius. Hic in una e suis responsioni-  
 „bus hæc habet notatu maxime digna:  
 „licet Ecclesiam Romanam semper sub-  
 „sistere, & a fide non deficere necessa-  
 „rium sit, haud inde sequitur, ejus Epi-  
 „scopum in errorem cadere non posse.

Insu-

**Sæc. XVIII.** Insuper Augustodunensis Episcopus  
 A. C. 1727. in sua Synodo præcepit, ut decreta in  
Embrodunensi Concilio circa obedientiam  
*Constitutionibus Apostolicis ibidem laudatis*  
*debitam condita in tota Diæcesi promulgen-*  
*tur, eaque sub pœnis in eodem Concilio sta-*  
*tutis observentur, sicut & censuræ contra*  
*Personam & instructionem Pastoralem Epi-*  
*scopi Sanitiensis pronuntiatæ.*

Porro Embrodunensis Archiepiscopus cunctis suæ Diæcesis Parochis ac Vicariis injunxit, ut Synodi decreta publice prælegerent, eaque a se fuisse acceptata, proprio chirographo attestarentur: quod & ab omnibus (exceptis duobus) factum est: ceteri vero Episcopi, qui huic Synodo interfuerant, die quarta Aprilis datis ad Regem literis eidem grates rependerunt, quod Synodum recipere, eamque Regio suo patrocínio tueri voluerit, contra insultus duodecim illorum Præsulum, qui eam impugnare præsumperunt. *Non equidem, inquiebant ipsi, nobis polliceri poteramus, quod errori os obstruere valeamus; probe enim prospeximus, quod turbidi atque indociles isti homines, qui Ecclesiam ejusque Pastores tanto jam tempore insectantur, nec hucusque ulli auctoritati acquieverunt, suum furorem contra Synodum, qua præcipuus eorum Antesignanus damnaretur, pleno alveo effu-*

effusuri essent &c. postea summi Pontificis ac Regis decreta, quibus hanc Synodum approbant, summopere commendantes, hi duodecim Episcopi, prosequuntur, sunt omnes (id dissimulare prohibet Religionis Regnique salus) aut complices aut fautores seditionis, quam Sanitiensis Episcopus contra Ecclesiam, & Regiæ suæ Majestatis auctoritatem concitavit, eisque viam stravit, ut omnes vestros subditos pari rebellionis involvant.

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

## §. XVIII.

*Ementiti Sanitiensis Vicarii Generalis temeritas a Rege castigata.*

Interim Quesnelistæ ex accepta clade ferociosiores effecti, extrema quæque tentabant, ut lethalia vulnera suæ religioni iterato inflicta quovis pretio repararent: Igitur nondum exhaustis omnibus fraudum fontibus quemdam Ecclesiasticum nomine Laporte subornant, ut sese Sanitiensis Episcopi Vicarium Generalem jactitaret, atque ementita hac dignitate auctus amoti Episcopi Diocesim regeret: Hic palam comparere minime ausus, ex latebris suis decreta emisit, in quibus Embrodunensem Synodum damnavit, & non modo Diocesis Procuratorem, sed & *Hist. Eccles. Tom. LXXII.* K k Vi-